



Per.  
Lat  
020

Moderator ephemeridis IOSEPHUS WAGNER DR. *Buda-pest, XI., Lágymányosi-utca 20. (Teleph.: 68-6-34), ad quem epistulae et manuscripta mittantur.*

Administrator ephemeridis ALEXANDER REGÉNYI, *Buda-pest, VII., Barcsay-utca 5., ad quem pecuniae quae-  
cunque dirigantur. (Postatak. csekkasz. 57.292.)*

Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

## Bimillennium Horatianum.

(A. 65 a. Chr. — 1935 p. Chr.)

Casa Venusiae, ubi Q. Horatius Flaccus in lucem<sup>1</sup> editus<sup>1</sup> erat, non imaginibus maiorum ornabatur. Nec tamen unquam poëtam patris libertini paenituit, qui macro<sup>2</sup> pauper<sup>2</sup> agello<sup>2</sup> ausus est filium Romam portare docendum artes, quas equites atque senatores semet<sup>3</sup> prognatos<sup>3</sup> doceri<sup>4</sup> iuebant.<sup>4</sup> Adiecere bonae paulo plus artis Athenae, ubi iuvenem inter silvas Aca-  
demi philosophiae studio<sup>5</sup> deditum<sup>5</sup> rudem-que<sup>6</sup> belli<sup>6</sup> Brutus in arma Caesaris Augusti lacertis<sup>7</sup> non responsura<sup>8</sup> vocavit. Horatius Philippos et celerem fugam sensit; tunc decisio<sup>9</sup> humilem pinnis<sup>9</sup> inopemque<sup>10</sup> paterni fundi paupertas impulit audax, ut versus faceret. Nemo poëtam in satiris ridentem dicere verum vetare potuit, quas cum etiam Maecenas, amicus atque fautor poëtarum maximus liben-



ter legeret, optimus Vergilius Variusque dixere, quid poëta esset. Horatius invitatus, ut coram Maecenate erat, singultim<sup>11</sup> et pauca locutus est; ille respondet, ut mos erat eius, pauca. Poëta abiit et nono post mense revocatur iubeturque in amicorum numero esse, placuit enim vitā et pectore puro Maecenati, atavis<sup>12</sup> edito<sup>12</sup> regibus.<sup>12</sup>

Non ebur neque aureum renidebat<sup>13</sup> in domo poëtae lacunar,<sup>14</sup> at fides et ingeni<sup>15</sup> benigna<sup>15</sup> erat vena,<sup>15</sup> quare pauperem dives eum petebat, in testamento autem Maecenas Augusto, quem heredem universum fecit,

<sup>1</sup> világra jön <sup>2</sup> egyszerü kisbirtokos létére <sup>3</sup> a maguk fiai <sup>4</sup> műveltető ige <sup>5</sup> tanulmányoz <sup>6</sup> katonailag kiképzetlen <sup>7</sup> karjai <sup>8</sup> egyénrangú ellenfél <sup>9</sup> szárnyaszegetten <sup>10</sup> elvesztve <sup>11</sup> akadozva <sup>12</sup> fejedelmi ösök sarja <sup>13</sup> ragyog <sup>14</sup> mennyezet <sup>15</sup> költői tehetség jócskán.




ita poëtam commendavit: «Horati Flacci, ut mei esto memor!»

Horatius paucis mensibus post Maecenatem mortuus est. Sed, sicut praedixit: «Non omnis moriar,» multa<sup>16</sup> pars<sup>16</sup> eius<sup>16</sup> vitavit Libitinam<sup>17</sup> et usque<sup>18</sup> crescet laude, dum Capitolium scandet iuventus Italica pristinae virtutis memor.

Quia fere nemo poëtarum antiquorum tantum ad maiores nostros valuit,<sup>19</sup> quantum Horatius, non praetermittere posse putavimus, quin hunc fasciculum totum sacerdoti Musarum carmina non prius audita virginibus puerisque cantanti dedicaremus. Iuvenes virginesque Hungariae! Plerique poëtarum nostrorum (D. Szabó de Barót, Ben. Virág, D. Berzsenyi, Fr. Kazinczy, Fr. Kölcsey, Vörösmarty, Arany, Petőfi, P. Gyulai, etc.) nocturnā<sup>20</sup> versabant manu exemplaria Horatiana, versabant diurnā. Vos quoque discite ab Horatio auream mediocritatem, cultum Dei et amorem patriae. Et si fors ita ferret, ut demonstrandum vobis esset: «Dulce et decorum est pro patria mori!» imitamini Hajnóczyum, qui cum supplicium<sup>21</sup> de eo sumeretur,<sup>21</sup> catastam<sup>22</sup> hos versus recitans ascendit: «Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae!»

<sup>16</sup> lényének jelentős része <sup>17</sup> az enyészetet <sup>18</sup> folytonosan <sup>19</sup> hatást gyakorolt <sup>20</sup> éjjel-nappal <sup>21</sup> kivégez <sup>22</sup> vérpád.



### LECTARIUS MINIMIS.

### Schola Orbilii plagosi<sup>1</sup> Romae.

Scriptit Desiderius Bielek.

Prölógus. Duplex est haec fábella, quam acturī sumus; fábula in fábula. Scholam Orbilii vidēbitis; Horātius hic discet cum sodālibus. Idem mox in scholā agent pueri togātam parvam fābulam dē Brutī filiis.

Persōnae<sup>2</sup> erunt: (monstrat unumquemque)

1. Orbilius Pūpillus Beneventānus, grammaticus professor, nunc LX fere annōs nātus, decimum iam annum Rōmae docens, (Cicerōne

enim consule Benevento Rōmam migrāvit), vir nātūrae acerbae<sup>3</sup>, etiam in discipulōs. (Librum ēdidit querēlās praeceptōris continentem.<sup>4</sup>)

- |  |                                      |
|--|--------------------------------------|
| 2. Albīnus, equītis <sup>5</sup> filius,             | } discipulī<br>in scholā<br>Orbilii. |
| 3. Calpurnius, viri consulāris f.                    |                                      |
| 4. Fuscus,   |                                      |
| 5. Lollius   |                                      |
| 6. Q. Horātius Flaccus, Venusīnus, <sup>6</sup> puer |                                      |

duodecim annorum, libertīnī coactōris<sup>7</sup> filius, corpōris exigūi,<sup>8</sup> oculis nigris, item<sup>9</sup> Orbilii discipulus.

#### I.

(Discipuli iam congregāti sunt<sup>10</sup> in scholā.)

H.: (nunc-ipsūm<sup>11</sup> advēniens, sodālēs salūtāt) Salvēte! — C.: Salvē, Horātī. Nunc quoque tē pāter tuus hūc comitātus est<sup>12</sup>? — H.: Bēne vidisti, Calpurnī. Quotidie ipse pater mē in scholām dēducit.<sup>13</sup> — C.: Meus pāter praeclārus<sup>14</sup> senātor est et consul fuit fascibus et curūli sellā honōrātus,<sup>15</sup> et rūra sua caballo<sup>16</sup> vix circumvectārī<sup>17</sup> vālet, <sup>18</sup> mē tāmen sōlus paedagōgus<sup>19</sup> in scholām comitātur. Tuum patrem libertīnum esse dīcunt, tāmen semper tam pulchrā veste indūtus es,<sup>20</sup> et praeter pāterem duo servī tēcum eunt, loculum<sup>21</sup> tibi et tabulam portantēs. Valde tē pāter tuus amāre vidētur.<sup>22</sup> Sed nōbis quōque omnibus cārissimus es, parve Horātī. Vēnī intus!<sup>23</sup> Praeceptor statim intrābit.<sup>24</sup>

#### II.

(Orbilius intrat; discipuli surgunt dē sellis, Fuscus nōn surgit.)

O.: Fusce, surge dē sellā! (Fuscus dēmisso capite<sup>25</sup> surgit.) Oculi tuī intentī sint in mē!<sup>26</sup> Puerum decet cōmem et modestum<sup>27</sup> esse. — F.: Vēniam peto,<sup>28</sup> mī magister.

O.: Calpurnī, tū herī āfuistī. — C.: Trēs diēs cubuī,<sup>29</sup> magister.

O.: Lollī, cūr tam dulce<sup>30</sup> rīdēs? — L.: Albīnus in buccā cicātrīcem habet,<sup>31</sup> digito longiōrem.

<sup>1</sup> ütlegelő, botot használó; történik 53. K. e. (6 éve annak, hogy M. Calpurnius Bibulus consul volt) <sup>2</sup> egy fiú bemutatja a szereplőket <sup>3</sup> szigorú, komor <sup>4</sup> amely... tartalmazott <sup>5</sup> lovag, bankár <sup>6</sup> venusiai születésű <sup>7</sup> szabados, (főszabadtott), pénzbeszedő <sup>8</sup> kishívő <sup>9</sup> szintén <sup>10</sup> összegyűltek <sup>11</sup> éppen most <sup>12</sup> kísért el ide? <sup>13</sup> hoz el, vezet el <sup>14</sup> országos hírv <sup>15</sup> kitüntetett <sup>16</sup> lóháton is alig <sup>17-18</sup> győzi körüljárni <sup>19</sup> kísérő szolgál <sup>20</sup> szép ruhában jársz <sup>21</sup> doboz a számológépek és számológépek számára <sup>22</sup> úgy látom <sup>23</sup> be (a terem belsejébe) <sup>24</sup> mindjárt betoppan (belép) <sup>25</sup> lehorgasztott fejfel (szemlesütve) <sup>26</sup> rám legyennek szegezve, rám nézz, a szemembe <sup>27</sup> udvariasnak és szerénynek illik lennie <sup>28</sup> bocsánatot kérek <sup>29</sup> fekvőbeteg voltam <sup>30</sup> oly jóízűen <sup>31</sup> sebhelye, forradása van.

*O.*: Quid fēcisti, Albīne? — *A.* (submissā vōce<sup>32</sup>): Pugnāvī<sup>33</sup> cum Fusco et vulnus accēpi. — *O.*: Clārius loquere et nōli cum sodālibus pugnāre! Vae mihi!<sup>34</sup> Sescentiēs<sup>35</sup> hoc tibi dixī. Nōstis mē, puerī; ācer<sup>36</sup> sum praeceptor; plāgōsum Orbilium mē dicunt. Vidētis haec mea scēpra<sup>37</sup>: anguillam<sup>38</sup> et ferulam.<sup>39</sup> Post verba verbēra. Nōn audientibus dicto<sup>40</sup> et labōris fugientibus<sup>41</sup> unguēs aut tergum māle mulcābo<sup>42</sup>... Nunc considite in sellis et attentī este!

III.

*O.*: Omnium primum in arithmeticis<sup>43</sup> vōs exercitābō. Tabulam Pythagōricam<sup>44</sup> memoriter reddētis.<sup>45</sup> Hodiē Horātius et Calpurnius



alter alterum<sup>46</sup> invicem<sup>47</sup> examinābunt.

*H.*: Quot sunt sexiēs sēna? *C.*: sunt triginta sex. *C.*: Noviēs novēna...? *H.*: sunt octoginta unum. *H.*: Sexiēs septēna...? *C.*: sunt quadraginta duo. *C.*: Septiēs novēna...? *H.*: sunt sexaginta tria. *H.*: Septiēs septēna...? *C.*: sunt undēquinquāginta. *C.*: Quater

septēna...? *H.*: sunt duodētrigintā.

*O.*: Sit hoc sātis.

Aliquid novi<sup>48</sup> nunc discēmus. Nōstis proverbium: «ad assem omnia<sup>49</sup> perdidit.» As unquam multo maiōris prētii fuit. Antīquus ās librālis<sup>50</sup> dividēbatur in partēs duodecim. Dē hīs assis partibus<sup>51</sup> loquēmur. Sūmite ē loculis abācum!<sup>52</sup> Habētis ibi duodecim calculōs ordīne positōs.<sup>53</sup> Singulī calculī sunt singulae unciae.<sup>54</sup> As didūcitur in duodecim uncias:

uncia |  
.....

Uncia igitur quōta pars<sup>55</sup> assis est? Lolli! — *L.*: Uncia est duodecima pars<sup>56</sup> assis. — *O.*: Rectē... In abācō nunc bīnos<sup>57</sup> sēiungite<sup>58</sup> calculōs, pāribus dīstantiis:<sup>59</sup>

sextans |  
.....

Ita, ita! Quid vidētis? Duae unciae quōta

pars assis sunt? Dīcat Horātius! — *H.*: Duae unciae sunt sexta pars<sup>60</sup> assis. — *O.*: Et sexta pars assis sextans<sup>61</sup> nōminātur. Ergo duae unciae sunt sextans... Nunc similī modō ternos calculōs<sup>62</sup> sēiungite! Et dīcat Fuscus: Trēs unciae quōta pars assis sunt? — *F.*: Trēs unciae sunt quarta pars<sup>63</sup> assis. — *O.*: Quarta haec pars assis quadrans<sup>64</sup> vocātur:

quadrans |  
.....

Attendite, puerī! Quaternos<sup>65</sup> nunc dispōnite<sup>66</sup> calculos, et dīnumerāte<sup>67</sup> calculorum catervās!<sup>68</sup> Quis vestrum citō nōbis dīcet: Quattuor unciae quōta pars assis sunt? Age,<sup>69</sup> dic, Calpurni! — *C.*: Quattuor unciae sunt tertia pars<sup>70</sup> assis. — *O.*: Tertia illa pars assis est triens:<sup>71</sup>

triens |  
.....

*O.*: Quid dixī, Calpurni? Quattuor unciae sunt...? *C.*: Quattuor unciae sunt triens. — *O.*: Nunc dēmum, puerī, sēnos calculōs<sup>72</sup> sēiungite! Quōta pars assis sunt sex unciae? Respondeat Albīnus! — *A.*: Sex unciae sunt dīmidia pars<sup>73</sup> assis. — *O.*: Dīmidia pars assis sēmī<sup>74</sup> vocatur. Quōmodō vocantur dīmidiae partes assis? Albīne! — *A.*: Dīmidiae partes assis sēmīsses vocantur:

sēmīsses |  
.....

*O.*: Subsistāmus<sup>75</sup> et respīrēmus<sup>76</sup> parumper! Repetāmus audīta!<sup>77</sup> Duae unciae, Albīne, sunt...? — *A.*: Duae unciae sunt sextans, trēs unciae sunt quadrans, quattuor unciae sunt

<sup>32</sup> halk hangon <sup>33</sup> csatáztam <sup>34</sup> jaj nekem, szegény fejem!  
<sup>35</sup> 600-szor, a. m. számtalanszor <sup>36</sup> szigorú, keménykezű  
<sup>37</sup> jogaraimat, kormánypalcáimat <sup>38</sup> kígyócskának hívták az iskolában a scuticát, a szittyakorbácsot (csip, mint a kígyó) <sup>39</sup> a palcát <sup>40</sup> a szófogadatlanoknak <sup>41</sup> a dologkerülőknél <sup>42</sup> csúnyán elpáholom <sup>43</sup> a számtanban <sup>44</sup> az egyszeregyet <sup>45</sup> elmondjátok fejből <sup>46</sup> egymást ki fogják kérdezni <sup>47</sup> felváltva <sup>48</sup> valami újat <sup>49</sup> mindent elvesztett az utolsó fillérig <sup>50</sup> vereitlen, lemérlegelendő ász (pénzegység) <sup>51</sup> oszlott <sup>52</sup> vegyéték elő az abacus-t, a számolótáblácskát <sup>53</sup> 12 kövecset, sorba állítva <sup>54</sup> uncia (unus-ból) <sup>55</sup> 1/12-as <sup>56</sup> hanyadrésze <sup>57</sup> egytizenkettede <sup>58</sup> kettőt-kettőt, két-két kövecskét <sup>59</sup> különítetek el <sup>60</sup> egyforma távolságnyira, egyenlő közökkel <sup>61</sup> 1/6 része <sup>62</sup> az as egyhatoda (= 2 uncia) <sup>63</sup> 3—3 számoló-kavicsot <sup>64</sup> 1/4 része <sup>65</sup> egynegyed as <sup>66</sup> négy(et)-négy(et) kövecset <sup>67</sup> csoportosítottak, különítetek el <sup>68</sup> számoljátok meg <sup>69</sup> kavicscsoportokat <sup>70</sup> nosza, nos <sup>71</sup> 1/3 része <sup>72</sup> az as egyharmada, harmad-as <sup>73</sup> 6—6 kavicsot <sup>74</sup> a fele <sup>75</sup> sēmīsses fél as <sup>76</sup> megálljunk <sup>77</sup> szusszanjunk egy kicsit <sup>78</sup> ismételjük el, amit hallottatok.

triens, sex unciae sunt sēmis. — *H.*: Magister, quae, om̄isimus<sup>78</sup> quinque uncias. Quinque uncias quō nōmine<sup>79</sup> vocant? — *O.*: Quinque unciae vocantur quincunx,<sup>80</sup> septem unciae vocantur septunx.<sup>81</sup> Demonstrāte<sup>82</sup> id quoque calculis!

quincunx	quincunx	sextans
.....	.....	..
septunx	quincunx	
.....	.....	

Attendite nunc! Ergo sī ad septuncem redit<sup>83</sup> quincunx, quid fit? Dīcat Horātius! — *H.*: Fit ās. — *O.*: Et si ad duos quincunces sextans redit, quid fit? Dīcat Lollius! — *L.*: Item ās.<sup>84</sup>

*O.*: Plūra nunc nōlite interrogare!<sup>85</sup> Cētera aliās<sup>86</sup> discēmus. Nunc ego difficiliōra vōs rogābo.<sup>87</sup> Respondēte prūdentē! Si dē quincunce remōta est<sup>88</sup> ūna uncia, quid superat?<sup>89</sup> Dīcat Albīnus! Iam poterat dixisse.<sup>90</sup>

triens	uncia
.....	.

*A.*: (submissā vōce digitis computat:<sup>91</sup> Superant quattuor unciae. Magnā vōce:<sup>92</sup>) Superat triens.

*O.*: Eu, eu!<sup>93</sup> Optime. Et si ad quincuncem redit uncia, quid fit? — Horātius primus digitum tollit. Dīcat Horātius! — *H.*: Sēmis fit. — *O.*: Euge, pai!<sup>94</sup> Optime, puer! Omni laude dignus es. Celeriter computando<sup>95</sup> adaequāte,<sup>96</sup> puerī, Albīnum et Horātium! Nunc dīcat Fuscus: Si dē sextante remōta est uncia, quid superat? Tacēs, Fusce? Lollī, adesto eī!<sup>97</sup> Nē tū quidem? Pudeat tē! O moi! Egō perialgēs!<sup>98</sup> — *A. et H.*: Magister, concēde, ut ego dīcam! Concēde, egō dīcam! Uterque:<sup>99</sup> Si dē sextante remōta est uncia, superat uncia.

*O.*: Audistisne? Quī diligenter attendit,<sup>100</sup> omnia cito percīpit.<sup>101</sup> Puerī Rōmānī non scholae, sed vitae discunt. Quālēs vōs cīvēs fiētis? O popoi, ō popoi...<sup>102</sup> Qui attentus nōn erit, acerbē pūniētur. Sevērōrum Rōmānōrum filiī sevēre sunt ēducandī.

Sed iam satis ex arithmetiēis! Nunc rēs Rōmānās<sup>103</sup> tractābimus.

*Finis sequetur.*

<sup>78</sup> kihagytuk <sup>79</sup> (milyen néven) hogyan <sup>80</sup> öt uncia (5/12) <sup>81</sup> hét uncia (7/12) <sup>82</sup> tūntessétek fel, szemléltessétek ezt is <sup>83</sup> hozzáadatik, hozzáadunk <sup>84</sup> szintén egy as lesz belőle <sup>85</sup> ne kérdezzetek (tőlem) <sup>86</sup> máskor <sup>87</sup> kérdek tőletek <sup>88</sup> ha elveszünk, ha kivonunk <sup>89</sup> mennyi marad? <sup>90</sup> már megmondhattad volna (Orbilius türelmetlen) <sup>91</sup> kiszámítja

az ujjain <sup>92</sup> hangosan <sup>93</sup> jól van (görögül) <sup>94</sup> jól van, gyerek! (görögül) <sup>95</sup> a gyors számolásban <sup>96</sup> igyekezzetek utolérni <sup>97</sup> segíts rajta <sup>98</sup> jaj nekem, mennyi bajom van (görögül) (én sokat szenvedő) <sup>99</sup> mind a kettő (egyszerre) <sup>100</sup> (buzgón) szépen figyel <sup>101</sup> megért <sup>102</sup> ej-ej, ó-ó <sup>103</sup> a római történettel foglalkozni.

## Horatius apud Augustum.

*Augustus.* Venistine tandem, mi Horati? Scito me tibi irasci. Tu nobis nostrum conspectum et congressum<sup>1</sup> vitare, ne dicam amicitiam nostram spernere videris.

*Horatius.* Quid<sup>2</sup> ita? An, nescis mi Auguste, me plurimum temporis in Sabinis meis consumere, libentius in secessu<sup>3</sup> ruris<sup>3</sup> mecum carmina meditantem vivere raroque Romam ventitare, cum oderim urbis strepitum ac sollicitum inanemque discursum<sup>4</sup> hominum urbanorum.

*Augustus.* Equidem non sum nescius, cum et ipse interdum subsecivis<sup>5</sup> horis,<sup>5</sup> quando a rebus<sup>6</sup> publicis<sup>6</sup> vaco,<sup>6</sup> nugas<sup>7</sup> quasdam versificem<sup>8</sup>, poetas et scriptores otio et solitudine egere.

*Horatius.* Sed opportune<sup>9</sup> tute ipse, ut verecunde<sup>10</sup> dicis, tuae me versificationis admones. Quid agit Ajax<sup>11</sup> tuus, quem tam feliciter auspicatus<sup>12</sup> es.

*Augustus.* Pro<sup>13</sup> Iuppiter!<sup>13</sup> Ajax meus in spongiam<sup>14</sup> incubuit.<sup>14</sup> Sed, inquam, irascor tibi non quod raro me convenias, sed quia in carminibus tuis non mecum potissimum loqueris. An vereris, ne apud posteros infame<sup>15</sup> sit, quod videaris familiaris nobis esse? Cur tu in multis carminibus cum Maecenate, quem honoris<sup>16</sup> causa<sup>16</sup> nomino, loqueris et iocaris, me autem plane negligis? Tui qualem habeam memoriam, potes ex Septimio quoque nostro audire. Neque si tu superbus amicitiam nostram sprevisi, ideo nos quoque, ut Graeco utar verbo ἀνθυπερηφανοῦμεν id est vicissim superbi sumus.

*Horatius.* O mi Auguste, vehementer falleris,

<sup>1</sup> találkozás <sup>2</sup> hogy-hogy? <sup>3</sup> falusi magányban <sup>4</sup> lőtásfutás <sup>5</sup> ráérő időmben <sup>6</sup> az államügyek nem foglalnak le <sup>7</sup> apróság, dib-dáb dolgokat <sup>8</sup> verselgetek <sup>9</sup> jókor <sup>10</sup> szerényen <sup>11</sup> Constat Augustum tragoediam Aiaceum inchoasse, sed non perfecisse <sup>12</sup> hozzáfogni <sup>13</sup> sajnós <sup>14</sup> spongyába dőlt, azaz beleveszett, amint a tragédia főhőse Ajax kardjába dőlve pusztult el <sup>15</sup> szégyent vallasz <sup>16</sup> a legnagyobb tisztelettel említék.

si me tibi irasci arbitraris. Non est haec quidem superbia; ne credideris fastu<sup>17</sup> quodam in scriptis meis nullam tui mentionem factam esse. Non nescire te puto esse quosdam homines malevolentissimos, atque abiectissimos,<sup>18</sup> qui nostram mihi amicitiam exprobrent<sup>19</sup> atque invidiose rodant.<sup>20</sup> Nolim vulgo homines putent tuum me favorem et benevolentiam humillimis adulationibus colligere.<sup>21</sup> Praeterea cum tot sustineas<sup>22</sup> et tanta negotia solus (Epist. I. 1.), res Italas armis tuteris, moribus ornes, legibus emendas: in publica<sup>23</sup> commoda<sup>23</sup> peccem, si longo sermone morer<sup>24</sup> tua tempora,<sup>24</sup> Caesar.

*Augustus.* Legistine, mi Horati, epistolam, quam nuperime ad Maecenatem dederam?

*Horatius.* Nempe eam dicis, in qua scripsisti te epistolis scribendis propter occupationes et infirmitatem non sufficere meque velle a Maecenate abducere. Legi equidem istam epistolam, sed nolim succenseas<sup>25</sup> mihi, si hoc officium honorificum<sup>26</sup> recusem. Etenim, ut scis, valetudine tam adversa utor, ut verear, ne huic negotio impar<sup>27</sup> sim.

*Augustus.* Istam tuam recusationem et excusationem boni<sup>28</sup> consulo.<sup>28</sup> Sed aliquid in me residebit angoris, ne amicitia nostra libertati tuae officere videatur. Istam curam ac sollicitudinem expelle ex animo. Non sum enim is, qui scriptores et poetas, quibuscum coniunctissime vivam, prohibeam, quin ea, quae sentiant, libere et sine<sup>29</sup> respectu<sup>29</sup> mei<sup>29</sup> eloquantur. Audistine Livium, clarissimum illum rerum scriptorem, quod Pompeium laudibus summis extulisset a me Pompeianum appellatum esse? Numquid haec Liviana ingenii libertas nostrae amicitiae offecit?<sup>30</sup>

*Horatius.* Minime id vereor, sempiternaque tua in rempublicam merita carminibus meis probare ac laudare teque suspicere<sup>31</sup> non desinam.

*Augustus.* Id maxime laetor. Nam a sum-

mis poetis laudari, ea demum<sup>32</sup> est maxime ad posteros commendatio. At, mi Horati, ludi saeculares iam appetunt. Multum atque diu cogitabam cuinam carmen saeculare componendum iniungam.<sup>33</sup> Tu mihi hac re dignissimus esse videris. Visne igitur hanc curam suscipere?

*Horatius.* Haud invitus hoc faciam.

*Augustus.* Sed est etiam, quod te monitum velim. Absolvisti iam diu tres carminum libros tamquam in perpetuum carmina scribere destiturus.<sup>34</sup> At quam velim quartum carminum

librum componere pergas, quibus mearum atque Tiberii Drusique victoriarum laudes canas!

*Horatius.* Id quoque fiet.

*Augustus.* Scito, mi Horati, aegre me ferre, quod tam raro me convenis. Tam lepidus<sup>35</sup> homuncione<sup>36</sup> qualis tu es, invitus careo. Idcirco, saepius me visito,<sup>37</sup> sumitoque aliquid iuris apud me, tamquam si convictor<sup>38</sup> fueris.

*Horatius.* Si id per valetudinem fieri poterit, faciam.

*Augustus.* Paene oblitus sum tibi dicere Onysium libellum tuum ad me pertulisse. Dic mihi cur tam exilem<sup>39</sup> librum mihi miseris. Vereri mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam,

ipse es. Sed tibi statura deest, corpusculum<sup>40</sup> non deest.

*Horatius.* Facete dictum, cum sim pinguis et (Epist. I. 4.) nitidus bene<sup>41</sup> curatā<sup>41</sup> cute<sup>41</sup> et porcus de Epicuri grege.

*Augustus.* Omnino lepidissimus et carissimus es mihi. Horati. Sed iam vale valereque iubeo nostros amicos Maecenatem, Vergilium et Varium, quorum ut tui semper memor sum.

*Carolus Acs.*

<sup>17</sup> dőlyfősség <sup>18</sup> elvetemedett <sup>19</sup> szememre hányják  
<sup>20</sup> megszólják <sup>21</sup> megszerezni <sup>22</sup> hordozod a válladon  
<sup>23</sup> a közérdek <sup>24</sup> idődet igénybe venném <sup>25</sup> nehezten  
<sup>26</sup> megtisztelő <sup>27</sup> nem tudok megfelelni <sup>28</sup> helybenhagyom  
<sup>29</sup> rám való tekintet nélkül <sup>30</sup> ártott <sup>31</sup> tisztelettel tekinteni rád  
<sup>32</sup> ám aztán <sup>33</sup> rábízni <sup>34</sup> abbanhagyni  
<sup>35</sup> kedves <sup>36</sup> emberke <sup>37</sup> látogass meg <sup>38</sup> pajtás, asztaltárs,  
<sup>39</sup> sovány <sup>40</sup> pocak <sup>41</sup> gondosan ápolt, testem ragyog.



## Sententiae Horatii.

Selegit *Adalbertus Danczer.*

Opera Horatii: Carmina, Epodi, Satirae et Epistulae quodammodo scitent<sup>1</sup> sententiis, quae in omnibus vitae rationibus<sup>2</sup> vivis aequae ac iuvenibus delectationi, solatio atque summo usui esse possunt. Sententiae hae simul cum integris operibus per tot saecula in toto orbe terrarum apud quascunque nationes legebantur optimique semper maxime operibus immortalibus poëtae nostri delectabantur. Cum ex hoc thesauro sententiarum iuventuti Hungaricae studiosae ad delectationem et ad vitam sapienter instituendam<sup>3</sup> conformandamque delectum aptissimum facturi eramus, in sententiis eligendis non tam copia quam potius modus nobis quaerendus fuit.

### *I. Sententiae de amore patriae, de sapientiae deorum vitaeque brevitate.*

Dulce et decorum est pro patria mori (Carm. III. 2, 13.). — Iustum et tenacem<sup>4</sup> propositi virum . . . si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae (III. 3, 7.). — Dis te<sup>5</sup> minorem<sup>5</sup> quod<sup>5</sup> geris, imperas: hinc omne principium, huc refer exitum (III. 6, 5.). — Odi profanum vulgus et arceo (III. 1, 1.). — Integer<sup>6</sup> vitae<sup>6</sup> scelerisque purus<sup>6</sup> (I. 22, 1.). — Aequa tellus pauperi recluditur regumque pueris (II. 18, 32.). — Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas<sup>7</sup> regumque turres (Carm. I. 4, 13.). — Omnes eodem cogimur (II. 4, 25.). — Prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit<sup>8</sup> deus (III. 29, 29.). — Immortalia ne speres (IV. 7, 7.). — Pulvis et umbra sumus (IV. 7, 16.). — Omnem crede diem tibi diluxisse<sup>9</sup> supremum! (Epist. I. 4, 13.). — Debemur<sup>10</sup> morti nos nostraque (II. 3, 63.).

### *II. Ex sententiis quae temperantiam, animi tranquillitatem et auream mediocritatem commendant:*

Durum; sed levius fit patientiā, quidquid corrigere est nefas. (Carm. I. 24, 19.). — Aurea mediocritas. (II. 10, 5.). — Vivitur<sup>11</sup> parvo bene. (II. 16, 13.). — Crescentem sequitur cura pecuniam. (III. 16, 17.). — Multa petentibus<sup>12</sup> desunt multa. (III. 16, 42.). — Beatus ille, qui procul negotiis. (Epod. 9, 1.). — Est modus in rebus. (Sat. I. 1, 106.). — Semper avarus

eget. (Epist. I. 2, 56.). — Ira furor brevis est, animum rege. (I. 2, 62.). — Invidus alterius macrescit<sup>13</sup> rebus opimis. (I. 2, 57.). — Nil admirari! (I. 6, 1.). — Parvum parva decent. (I. 7, 44.). — Metiri se quemque suo modulo<sup>14</sup> ac pede verum est. (I. 7, 98.). — Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. (I. 11, 27.). —

### *III. Praecepta ad tranquille beateque vivendum:*

Carpe diem!<sup>15</sup> (Carm. I. 11, 8.). — Quid sit futurum cras, fuge quaerere. (I. 9, 13.). — Aequam memento rebus<sup>16</sup> in arduis<sup>16</sup> servare mentem. (II. 3, 1.). — Rebus angustis<sup>16</sup> animosus atque fortis appare. (II. 10, 21.). — Laetus in praesens animus quod ultra est oderit<sup>17</sup> curare.<sup>17</sup> (II. 16, 25.). — Truditur dies die<sup>18</sup>. (II. 18, 15.). — Eheu fugaces, Postume, Postume, labuntur anni. (II. 14, 1.). — Dona praesentis cape laetus horae. (III. 8, 27.). — Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. (Epist. I. 2, 55.). — Fuge magna! licet sub paupere tecto, reges et regum vitā<sup>19</sup> praecurrere<sup>19</sup> amicos. (I. 10, 32.). — Mors ultima linea rerum est. (I. 16, 79.). — Deme supercilio<sup>20</sup> nubem.<sup>20</sup> (I. 18, 94.). — Mortalia facta peribunt. (II. 3, 68.).

### *IV. Varia verba volantia (ἔπεα πτερόεντα):*

Audax omnia perpeti<sup>21</sup> gens humana ruit per vetitum nefas. (Carm. I. 3, 25.). — Nil mortalibus ardui<sup>22</sup> est. (I. 3, 37.). — Non, si male nunc, et olim sic erit (II. 10, 16.). — Post equitem sedet atra cura. (III. 1, 40.). — Vis consilii expers mole ruit suā. (III. 4, 65.). — Dulce est desipere<sup>23</sup> in loco. (IV. 12, 28.). — Fortuna non mutat genus. (Epod. 4, 6.). — Ridentem dicere verum, quid vetat? (Sat. I. 1, 24.). — Mutato nomine de te fabula narratur. (I. 1, 69.). — Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. (Epist. I. 1, 52.). — Quidquid delirant reges, plectuntur<sup>24</sup> Achivi. (I. 2,

<sup>1</sup> hemzseg <sup>2</sup> vonatkozás <sup>3</sup> berendezkedés <sup>4</sup> szándékához ragaszkodó <sup>5</sup> mivel meg tudsz alázkodni <sup>6</sup> tiszta életű s büntől mentes <sup>7</sup> kunyhó <sup>8</sup> eltakarja <sup>9</sup> felvirradt <sup>10</sup> adó-sai vagyunk <sup>11</sup> lehet élni <sup>12</sup> aki sokat markol <sup>13</sup> lesóványodik <sup>14</sup> mérték <sup>15</sup> használd ki az időt! <sup>16</sup> nehéz viszonyok közt <sup>17</sup> ne törődjék a jövővel <sup>18</sup> telik egyik nap a másik után <sup>19</sup> boldogabban élni <sup>20</sup> oszlasd el a borút homlokodról! <sup>21</sup> -pati <sup>22</sup> elérhetetlen <sup>23</sup> kirúgni a hámból <sup>24</sup> bűnhődnek <sup>25</sup> amit beleöntöttek.

14.). — Dimidium facti, qui coepit, habet. (I. 2, 40.). — Quo semel est<sup>25</sup> imbuta<sup>25</sup> recens, servabit odorem testa<sup>26</sup> diu. (I. 2, 69.). — Prodigus<sup>27</sup> et stultus donat, quae spernit et odit. (I. 7, 20.). — Naturam expellas<sup>28</sup> furca, tamen usque recurret. (I. 10, 24.). — Principibus placuisse viris non ultima laus est. (I. 17, 35.). — Hinc illae lacrimae! (I. 19, 41.).

V. De arte poetica:

Scribimus indocti doctique poemata passim. (Epist. II. 1, 117.). — Graecia capta ferum victorem cepit. (Ibidem 156.). — Pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. (Epist. II. 3, 9.). — Brevis esse laboro:<sup>29</sup> obscurus fio. (Ibidem 25.). — Versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri. (39.). — Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi. (102.). — Parturiunt<sup>30</sup> montes, nascetur ridiculus mus. (139.). — Vos exemplaria Graeca nocturna<sup>31</sup> versate manu, versate diurna.<sup>31</sup> (268.). — Omne tulit punctum,<sup>32</sup> qui miscuit utile dulci. (343.). — Quandoque bonus dormitat Homerus. (359.). — Nonum prematur<sup>33</sup> in annum! (388.). — Nescit vox missa reverti. (390.). — Qui studet optatam cursu contingere metam,<sup>34</sup> multa tulit fecitque puer<sup>35</sup> sudavit et alsit. (412.).

VI. De immortalitate sua:

Exegi monumentum aere perennius.<sup>36</sup> (Carm. III. 30, 1.). — Non omnis moriar. (Ibidem 6.).

<sup>26</sup> edény <sup>27</sup> pazarló <sup>28</sup> hiába úzöd ki <sup>29</sup> igyekszem  
<sup>30</sup> vajúdnak <sup>31</sup> éjjel-nappal <sup>32</sup> szavazatot <sup>33</sup> rejtegesd  
<sup>34</sup> célpont <sup>35</sup> gyerekkorában <sup>36</sup> maradandóbb.

Cum legerem Horatium.

Carmen Pauli Gyulai «Horatius olvasásakor».

Latine reddidit Geysa Némethy.

O Romam, Romam, perpessam turpia Romam!  
At Flaccus Veneres concinit, ecce, lyra.  
Candida num splendent Capitolia lumine prisco?  
Non fert indignum libera Roma iugum?  
Heu, ubi avita<sup>1</sup> fides, libertas dulcis ubi nunc?  
Mortalis colitur, pro<sup>2</sup> pudor, aede deus!  
Ingeniis magnis celebratur fama tyranni;  
Interiit populus, sordida turba manet.

An fallor maerens et nil nisi iussa tributa  
Persolvit vates Caesaris arma sonans?  
Totam cum videas animum uni vendere Romam,  
Immunis cur sit, quisque ferit<sup>3</sup> citharam?

Forsan, dum cantat ludosque iocosque poeta,  
Immensus lacerat<sup>4</sup> pectora fida dolor  
Et secum tacitus: «Bruti nunc urbe superba  
Nil praeter Venerem, gaudia, vina licet.»



«Caecus amor<sup>5</sup> nostri<sup>5</sup>, metus atque infanda libido,  
Quidquid erat sancti, cordibus expulerant.  
Nil es iam virtus, nisi verbum, nomen inane<sup>6</sup>  
Somnus libertas, prendere quem nequeas.  
Sola regat rebus dubiis prudentia mores,  
Discantur monitus, docte Epicure, tui:  
Mitte urbis curam; fallentis semita vitae  
Te beet: aequo animo, quidquid erit, tolera»

«Culmina Soractis, en adspice, nix tegit alta,  
Ingere ligna foco, funde Falerna, bibe:  
Venturi secreta aevi, fuge quaerere, quae sint,  
Seri<sup>7</sup>us ocius, heu, pallida mors veniet.  
Gaude hodie, dum fata sinunt tristesque sorores,  
Crinibus et nitidis myrtea sarta<sup>7</sup> geras,  
Nec tu sperne choros, cantum, convivia, amores:  
Summa bona haec credas, quae tibi vita dedit.»


«Felix, qui didicit vitare negotia longe  
Vivere scitque sibi rura paterna colens!  
Absint divitiae, paupertas absit acerba:  
Tu mediam quaeras, aurea namque, viam.  
Saepius excelsos feriunt vaga fulgura montes  
Deiecta et vento populus<sup>8</sup> alta ruit:  
Omnia tuta virent Tiburni valle reducta,<sup>9</sup>  
Arbusta et flores molle sonant zephyro.»

«Quos praebent artes, rerum<sup>10</sup> et natura<sup>10</sup> - lepores  
Si sapis et calles vivere, id omne tuum est,  
Quamque iuvat lenes noctu repetisse susurros  
Furtivae Veneris tempore composito!<sup>11</sup>  
Dic, utram malis, Pyrrhamne Chloenne tenellam?<sup>12</sup>  
Aetas, dum loquimur, livida iam fugiet:  
Fructum praesentis tu percipe providus horae,  
Venturo metuens credere<sup>13</sup> carpe diem!»

Gaudia tu vitae cantas, divine poeta!  
Tristem animum dulci parce movere sono!  
Nos quoque sensimus, heu, deflenda clade Philippos  
Nos quoque vidimus, o, cuncta perisse bona.  
Tempora nostra tuis componere<sup>14</sup> forte licebit:  
Aetas haec nova iam coeperat esse senex,  
Vulnera sed torrent, maeremus corde profundo,  
Est sanctus nobis semper eritque dolor!

<sup>1</sup> ősi <sup>2</sup> oh! <sup>3</sup> penget <sup>4</sup> marcangol <sup>5</sup> özénés <sup>6</sup> puszta  
<sup>7</sup> koszorú <sup>8</sup> nyárfa <sup>9</sup> rejtett <sup>10</sup> természet <sup>11</sup> megbeszél  
<sup>12</sup> teneram <sup>13</sup> bízni <sup>14</sup> összevet.

*Rebus in adversis discamus vivere fortes!  
Carcer, vincula, mors non tibi summa mala!  
Devictis pulchrum causā confidere iustā:  
Magnis iam coeptis fata viam invenient.*



Tibur (hodie Tivoli).

*Decisas pennas temptant relevare poëtae  
Iamque monent segnes iamque iterum astra petent:  
Persta atque obdura, noli spem ponere, pectus,  
Ex humili luctu surge age, surge, anime!*



## Iocosa.

### Horatium mihi apparuisse.

Visum<sup>1</sup> ex libro Th. Birthii, qui «Horaz, Lieder» inscribitur excerptum.

Latine reddidit *Aem. Láng.*

Erat tempus aptissimum suaviter somniando<sup>2</sup> cum repente Horatius praesens<sup>3</sup> me visitavit. Ille ipse aderat.

In cogitationibus defixus ad mensam scriptoriam<sup>4</sup> animo tranquillo ac securo sedebam. Ex accenso cigarro<sup>5</sup> fumum hauriebam; calamus<sup>6</sup> e manu elapsus erat. Valvae ipsae<sup>7</sup> se aperiunt velut manu<sup>8</sup> inferna.<sup>8</sup> Fores ante non pulsatae sunt (pulsator<sup>9</sup> infernus ille non fuit) et hospes insolitus iam adfuit. Petasum<sup>10</sup> stramineum<sup>10</sup> Italum proiecit, se autem in sedile<sup>11</sup> aluta<sup>11</sup> inductum<sup>11</sup> coniecit. In quo, deo sit gratia, libri non iacebant. Ut nomen suum nominaret, non fuit opus. Statim agnovi eum.

Domine, se<sup>12</sup> huc<sup>12</sup> afferre<sup>12</sup> dignatus est? balbutio<sup>13</sup> et cigarrum conturbatus e manu emitto.

Iucunde ridebat, pedes breves protendit, mentum<sup>14</sup> leviter<sup>15</sup> rasum terebat et paucis respondit.

Uttere quaeso in sermonibus nostris secundā

personā, nam iam veteres amici ac familiares sumus. Atqui tribus<sup>16</sup> verbis<sup>16</sup> te<sup>16</sup> volo,<sup>16</sup> nam mihi properandum est.

Quid ita? Quid mihi novi affers?

Videre tantum volui, num tuis studiis insisteres.<sup>17</sup>

Prehendi manum eius parvam et pinguem: da te tueri, Horati, bismillennarie avuncule!<sup>18</sup> Ubi togam reliquisti? Cur gestas ioppam<sup>19</sup> et braccas?<sup>20</sup>

Braccas Gallicanas! respondit. Ita vestitus veni ad vos barbaros, ne vestros oculos animosque in me converterem.

Latine loquebamur. Ex lingua eius melle<sup>21</sup> dulcior simulque sonora<sup>22</sup> flubeat oratio Latina. Digits<sup>23</sup> salutari<sup>23</sup> mihi minitabatur, cum initio mihi<sup>24</sup> confuso<sup>24</sup> apta verba deessent. Labia<sup>25</sup> autem eius bibere consueta sitire videbantur.

Velis afferam vinum, rogavi eum.

Noli, noli afferre, dixit et oculi eius nigri maestitia suffusi micabant. Fuit, fuit quondam ista in me virtus,<sup>26</sup> sed umbrae inferae iam non potant. Nunc Europam circumire mihi in mente est i.<sup>27</sup> e.<sup>27</sup> ambire<sup>28</sup> Latine doctos in omnibus universitatibus litterarum et recensere eos, quid agant. At illi vix me intelligunt, Latine loqui iam penitus dedidicisse<sup>29</sup> videntur. Studia humanitatis! quae iam dudum exstingui praesagiebam.<sup>30</sup> Veteres scriptores quondam ad imitandum propositi nunc temporis humanantur.<sup>31</sup> Secundum<sup>32</sup> sepulcro condor.

Nos videlicet novi<sup>33</sup> sumus, respondi, et quidem Germani. Versus nobis nosmet ipsi factitamus.<sup>34</sup>

Laudo!<sup>35</sup> dixit et oculi eius scintillabant.<sup>36</sup> In versibus faciendis suum<sup>37</sup> esse!<sup>37</sup> Ego quoque semper id<sup>38</sup> spectabam.<sup>38</sup> Ex nova vena

<sup>1</sup> látomás <sup>2</sup> álmodozik <sup>3</sup> személyesen <sup>4</sup> íróasztal <sup>5</sup> szivar: i. e. ex accensa herba Nicotiana in formam cylindri convoluta <sup>6</sup> író toll <sup>7</sup> maguktól <sup>8</sup> szellemkéz <sup>9</sup> zaklató, hitelező <sup>10</sup> szalmakalap: petasus széleskarimájú kalap volt az ókorban, melyet utazásnál használtak védelméül a nap ellen <sup>11</sup> bőrszék <sup>12</sup> idejönni <sup>13</sup> hebeg, dadog <sup>14</sup> áll <sup>15</sup> simára <sup>16</sup> csak pár szót akarok veled váltani <sup>17</sup> buzgón folytat <sup>18</sup> nagybátya <sup>19</sup> zubbony (középk. latinság) <sup>20</sup> nadrág <sup>21</sup> méz <sup>22</sup> csengő, zengzetes <sup>23</sup> mutatóujj <sup>24</sup> zavaromban <sup>25</sup> ajak <sup>26</sup> jótulajdonság <sup>27</sup> id est = azaz <sup>28</sup> sorbajárni <sup>29</sup> kitanul valamiből <sup>30</sup> sejt <sup>31</sup> eltemet, föld alá tesz <sup>32</sup> másodízben <sup>33</sup> új, modern <sup>34</sup> csinálgat <sup>35</sup> helyes! szép dolog! <sup>36</sup> szikrázik <sup>37</sup> önállóan, eredetinek lenni <sup>38</sup> arra törekedtem.



et fertilitate ingenii exundat<sup>39</sup> et luxuriat<sup>39</sup> nova poesis, quae laetissimos novae ubertatis flores mittit. Centies millies transit redit ver, meum nunquam revertetur. At ne veteres quidem oblivioni tradendi sunt. Adsum igitur, ut me in memoriam vestram revocem.

Proh dii immortales! Facio nimirum, quae facere possum; nunc ipsum<sup>40</sup> operam do, ut librum de te scribam. Semper te in sinu<sup>41</sup> gestabam. Iam quinquaginta annos in addiscendo sermone<sup>42</sup> Latino<sup>42</sup> me exercebam, ut te intelligerem, carissime domine grandis natu. Poemata tua non tironibus<sup>43</sup> indoctis scripta sunt. Datur mihi tandem te videre et habitum oris lineamenta que intueri! En machina photographica! Sine<sup>44</sup> lucis<sup>45</sup> opera<sup>45</sup> imaginem<sup>45</sup> tuam exprimam.<sup>45</sup> Exemplum<sup>46</sup> oris<sup>46</sup> tui iam dudum a posteritate desideratur.

Qui autem frigide abnuit. Animus, inquit, abhorret a machinis vestris, quae in omnibus angulis<sup>47</sup> cernuntur: natura ipsa iisdem corrumpitur.

An vero licet mihi vocem tuam in lamina<sup>48</sup> phonographica<sup>48</sup> incisam aeternam<sup>49</sup> reddere?<sup>49</sup> Homines concurrent, ut te audiant.

Quare meam vultis vocem, cum ne Goetheam quidem et ne Schillerinam quidem audire potestis?

Ego etiam omni ope annitor, incēdi sermonem eius, ut versus tuos Germanice reddam.

Repente de sedili exsiluit, ut sublata manu genas<sup>50</sup> meas mulceret,<sup>51</sup> quas autem brevis<sup>52</sup> contingere non potuit.

Convertere, dixit miseratione commotus, molestissimum est. Malim carmina propria componas!

Ain' tu? Scripsi et eiusmodi carmina, respondendi ingemiscens, at enim non leguntur. Carmina autem e Latino conversa — mihi crede — libenter leguntur, quod nomen tuum aeternum eis inscriptum est.

Desine, quaeso. Ego tremor<sup>53</sup> puerorum, plaga discipulorum! Dictum factum et iam ante fores fuit. Et arrepto petaso stramineo, mihi, inquit, abeundum est.

Mane adhuc, quaeso, paulisper, rogavi, simulque apprehendi illum catenā<sup>54</sup> horarii<sup>54</sup> aureā, quae circulo<sup>55</sup> similis teretem<sup>56</sup> ventriculum ornabat. Habitum<sup>57</sup> tuum admiror, in-

quam, quod te in cyenum<sup>58</sup> conversum esse arbitrabar. Fac convertas te iterum in olorem.<sup>58</sup>

Libenter! ridebat et parvula interposita mora iam catena horarii inter molles plumas cerni desita est; ubi modo bracchia gessit, alas<sup>59</sup> gerit niveis pennis, ex blando<sup>60</sup> ore rostrum provenit; petasus autem velut exhalatus<sup>61</sup> supra in aere par nubeculae pendebat. Forsitan fumus tantum cigarri mei fuerit, qui in patella<sup>62</sup> metallica<sup>62</sup> extinctus est.

Pennam ex alis tuis! flagitabam, unam modo da mihi! Quae quidem penna non est



anserina,<sup>63</sup> sed olorina<sup>64</sup> Horatiana. Qua in carminibus tuis convertendis utar!

Fenestra aperitur. Evolavit. Vidi eum ex oculis in auram evanescentem.<sup>65</sup> Lenes<sup>66</sup> modi<sup>66</sup> suaviter canori metro Sapphico compositi in aere sonabant. Ego autem ad mensam scriptoriam me recepi et incumbenam nova penna in versus convertendos, quibus nunc lector cruciatur.

<sup>39</sup> buzog, fakad <sup>39</sup> buján nő <sup>40</sup> éppen <sup>41</sup> szív  
<sup>42</sup> latin nyelvű társalgás <sup>43</sup> újonc <sup>44</sup> engedd <sup>45</sup> lefotografál; így is: photographice exprimere <sup>46</sup> arckép <sup>47</sup> sarok <sup>48</sup> hang-  
 lemez <sup>49</sup> megörökít <sup>50</sup> arc <sup>51</sup> simogat <sup>52</sup> alacsony létére  
<sup>53</sup> rém <sup>54</sup> óralánc <sup>55</sup> hordóabroncs <sup>56</sup> gömbölyű, jó húsban  
 levő <sup>57</sup> külső <sup>58</sup> hatyú <sup>59</sup> szárny <sup>60</sup> megnyerő <sup>61</sup> elpáro-  
 logva <sup>62</sup> fémtálca <sup>63</sup> lúd <sup>64</sup> hatyú <sup>65</sup> eltűnni <sup>66</sup> halk  
 dallam.

## Hypatia.

(3.)

Scripsit *Carolus Kingsley*, Hungarice reddidit *Arpadus Zsigány*.  
Excerpsit atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

II. Sectatores<sup>1</sup> antiquae religionis.

Alexandriae in via pulcherrima erat domus coenaculata,<sup>2</sup> cuius in cubiculo<sup>3</sup> eleganter instructo ad mensam sedebat Hypatia. Ideo hoc sibi elegerat cubiculum, quod ex fenestra prospicere poterat in hortum Musei, videre aream<sup>4</sup> floribus consitam<sup>5</sup> versicoloris,<sup>6</sup> umbrosas flexuosasque<sup>7</sup> semitas, signa, lucos, aquas salientes,<sup>8</sup> frondes palmarum, sub quibus olim Ptolemaeus Philadelphus ambulans cum Euclide, Theocrito, Callimacho, Lycophrone disputarat.

Hypatia XXIV fere annorum erat. Si temporibus Phidiae vixisset, artifex ille maximus ex ea certe signum Minervae finxisset: virgo illa tam pulcherrimum exemplar fuit Graecarum feminarum. Corpus eius altum et gracile alba chlamys<sup>9</sup> Ionica velabat, quae in latere cingulo continebatur. Oculis ex opere, quod diligenter transcribebat,<sup>10</sup> levatis suspirans<sup>11</sup> ita secum locuta est: «Signa quidem contusa, bibliothecae incensae sunt, silent academiae et oracula: sed quis dicit religionem heroum et sapientium unā mortuam esse? Pulchrum nunquam emori potest. Atque etsi dii ex oraculis migrarunt, tamen non discesserunt ex eorum animis, qui pulchrum bonumque colunt».

Tum Hypatiae pater, Theo ingreditur, gravis senex: «Vincemus, mea filia — ait. — Hodie mane sex novi auditores venerunt».

«Vincemus? — gemit Hypatia. — Unde scis sex illos auditores non eo ad te venisse consilio quo Critias et Alcibiades Socratem viserint? Sola levitate<sup>12</sup> et inani superbia studiis vacant et qui ante meridiem tanta pietate omnia mea verba, quasi oracula, audiunt, post meridiem lecticam Pelagiae circumstant et nocte potant, aleis ludunt, comisantur,<sup>13</sup> ut extremus servus barbarus.»

Senex respondebat, cum cubicularia<sup>14</sup> incurrens praefectum honoris causa venire nuntiavit. «Intromitte eum — ait Hypatia semotis litteris.»

Subinde intrat Orestes, praefectus urbi. Erat iuvenis pulchra facie; tunicam gerebet senatoriam, collum et digiti plena erant annulorum et ornamentorum. «Cum sim Christianus — in-

quit iocose — tamen paganus fio, si tuos oculos, Hypatia, video pulcherrimos.»

Postquam Theo digressus est, Orestes: «Ut ad rem redeam — inquit — super rebus publicis ad te veni, pulchra Hypatia. Quomodo se gessit, dum aberam, abiectum<sup>15</sup> illud vulgus Alexandrinum?»

— Grex, ut fere fit, bibit, lascivit.<sup>16</sup>

— Quid schola? crescitne?

Hypatia umerum quassans<sup>17</sup> nil respondet.

— Ah scio atque intelligo — gemit Orestes dolorem simulans. — Mea quoque culpa est, quam vitio vertis tuis discipulis. Non sumus satis graves atque si verba tua non audimus, continuo dignitatis ac praeceptorum philosophiae obliviscimur . . . Sed idcirco veni ad te, ut des mihi consilium. Cyrillus patriarcha longis querulisque<sup>18</sup> litteris scripsit ad me Iudaeos coniuravisse, ut Christianos ad unum omnes extirparent. Equidem magis puto hoc esse in mentibus Christianorum — sed tamen aliquid erit mihi faciendum, ne Cyrillus nomen<sup>19</sup> meum ad imperatorem deferat . . .<sup>19</sup> Dic, quid litteris Cyrilli rescribam?

— Nihil. Nam si rescriperis, agnosces eum ius habere se immiscendi<sup>20</sup> administrationi civitatis. Id tamen facere licebit, ut familiariter ei nunties te paratum esse quaestionem habere<sup>21</sup> de coniuratione Iudaeorum, ubi Cyrillus eos in iudicio rite nominaverit.

— En habeo effugium!<sup>22</sup> — clamat laetus Orestes. — Statim hoc agam.

Praefectus contentus ab Hypatia discessit. In via circumspiciens comiter annuit procero<sup>23</sup> adolescenti, qui tam splendidam, quam ipse, vestem gerebat: «Hem,<sup>24</sup> Raphael Aben-Ezra! — alloquitur eum eminus. — Edepol<sup>25</sup> bona te fortuna duxit Alexandriam nunc, cum maxime tui indigeo. Veni, amice, asside sis<sup>26</sup> apud me in vehiculo».

Adolescens propius aggressus interrogat: «Quae gravis esse potest causa, cur gloriosus imperatoris praefectus mecum, qui sim servus eius subiectissimus,<sup>27</sup> tam comiter colloqui incipere dignetur?»

<sup>1</sup> követő <sup>2</sup> emeletes <sup>3</sup> szoba <sup>4</sup> tér <sup>5</sup> beültet <sup>6</sup> tarka  
<sup>7</sup> kanyargós <sup>8</sup> szökőkút <sup>9</sup> görög köpeny <sup>10</sup> másol <sup>11</sup> sóhajt  
<sup>12</sup> léhaság <sup>13</sup> tivornyázik <sup>14</sup> szobalány <sup>15</sup> aljas <sup>16</sup> rakoncátlankodik <sup>17</sup> von <sup>18</sup> panaszos <sup>19</sup> feljelent <sup>20</sup> beavatkozik  
<sup>21</sup> vizsgálatot tart <sup>22</sup> kibúvó <sup>23</sup> magas <sup>24</sup> lám <sup>25</sup> bizony  
<sup>26</sup> sis = si vis (kérlek) <sup>27</sup> alázasos.

— Cyrillus scripsit mihi vos Iudaeos conspirasse, ut omnes Christianos interficeretis.


— Me insciente fecerunt neque tu res actas sustines.<sup>28</sup>

— Recte putas, Raphael; si quis nescit aliquid, eius rei non tenetur.<sup>29</sup>

Equi leve pilentum<sup>30</sup> ad domum praefecti celeriter rapiebant. Iam in forum devertebant, cum Orestes portum ostendens ait: «Illae quoque hodie vesperi proficisci poterunt».

— Navesne frumentariae? — quaerit Raphael. — Tamen eas dimittis?

— Cur dicis tamen? Immo iam tertius dies est, cum prima classis Romam profecta est.



Hypatia in horto.

— Verone serio?<sup>31</sup> Ergo tu nihil adhuc de Heracliano audisse videris?

— De Heracliano? Quid ad Heraclianum pertinent naves frumentariae?

— Nihil omnino. Immo ne ad me quidem pertinent. Id modo audivi Heracliano in animo esse movere seditionem. Sed iam adsumus, tuque multum negotii habes.

— Quid vult Heraclianus? — quaerit Orestes pallidus. — Seditionem movebit et Romam adoriatur. — Di immortales! vel potius o Deus! Veni mecum, quaeso et enarra sis omnia.

Orestes raptim ascendit contignationem<sup>32</sup> et remotissimum intravit cubiculum. Ibi statim ut Raphael ingressus est, occlusis foribus anxius instat: «Enarra sis omnia!»

*Ad numerum proximum.*

<sup>28</sup> felelős vagyok    <sup>29</sup> bűnös valamiben (gen.)    <sup>30</sup> kocsi igazán?    <sup>31</sup> emelet.


## Libri dono accepti.

*Florilegium patristicum* in usum iuventutis studiosae. Editio Societatis Magistrorum Intermedioscholarium Catholicorum. 1935. Fasciculus III. «De civitate Dei» *Sancti Augustini*. Excerpsit et adnotationibus illustravit *Eugenius Fray dr.* Prostat apud praesidium Societatis: Budapest, XI., Fehérvári-út 13. Pretium 0.20 pengő.

*Raritates literariae Hungaricae*, Redactae a Ladislao Vajthó. Fasciculus XXIX.: *Scriptores renascimenti Hungarici* (Ioannes dictus Vitéz, Ianus Pannonius, rex Matthias, Callimachus Experiens, Galeottus Marzius, Antonius Bonfinius, Barthol. Pannonius, Nic. Oláh, Gabr. Mindszenth, Franc. Forgách, Nic. Istvánffy, Petrus Bornemissza, Georg. Enyedi, Alb. Gyergyai, Ioannes Rimay, Nic. Zrinyi). Editio bilinguis. Textum exscripserunt et Hungarice reddiderunt discipuli classium V—VIII. gymnasii «Daniel Berzsenyi». Auctores excerpsit, praefatione et adnotationibus instruxit *Tiburtius Kardos dr.* Prostat apud Officinam typographicam Universitatis Regiae Hungaricae. Budapest, 1934. Pretium 2 pengő.

*Hajnalhasadás*. Revíziós színmű egy felvonásban. Irta: *Sándor Pál*. Budapest, 1934. Kókai Lajos bizománya. Ára: 60 fillér.

*Alma Roma*. Latinitatis praeconium singulis mensibus editum. Ann. XXII. Fasc. I. Ian. 1935. — «Alma Roma» in ann. MCMXXXV. — De Latini sermonis elegantia. — De fontibus iuris Italici. — Visiones Romanae: Pinetum. — Petrus Card. Gasparri. — Communia vitae: De salutatione. — Sapientum pervestigaciones a radiophonica Vaticana statione Latine vulgatae: De neutrino. De aqua ponderosa. — Annales. — Varia. — De Roberti Scotti, navarchi Angli, itinere Antartico.



## Solutiones aenigmatum numeri V.

1. Ordo est anima omnium rerum.
2. Litera r. — 3. Literatura.
4. *Series libratae*: 1. Parthenon. 2. P. 3. Numa.
4. Trinobantes. 5. Stata Mater. 6. Ama. 8. Ast.
13. M. N. 14. Is. — *Series directae*: Pan. 4. Tityrus.
6. Arbitr. 7—8. At. 9. Mithras. 10. Antonius.
11. TT. 12. Omnia. 15. Nos.
5. Clio.

*Aenigmata recte dissolverunt: Budapestinum: Steph. Müller, Ios. Túri, Lad. Telmei (rg. Árpád.), Lad. L'Eplattenier (rg. Univ.), Lad. Porjesz (rg.*

*Matth.*), Teresia Benkő, Martha Lindner, Editha Willner, Clara Rónai, Agnes Lukács, Elis. Ivanovszky (thgymn. *Paul Veres*), Alex. Losonczy, Ioan. Orlay, Lad. Wagner (gymn. inst. prof. erud. adiunct.), Marianna Renner, Magdalena Fajcsek (*Sophianum*), *Keszihely*: Eug. Bobay, Alex. Horváthy, Mich. Kaszás, Victor Kósa, Georg. Pál, Ios. Szalai, Steph. Valter, Marc. Wolf, Alex. Zalakovics (rg. *Praemonstr.*); *Miskolc*: Lad. Bubnó, VII. class. gymn. cath.; *Nagykanizsa*: Ios. Révai (rg. *Schol. Piarum*), *Nagykálló*: Geysa Bakonyi, Georg. Bicsánszky, Lad. Borsy, And. Bornemissza, Steph. Magyar (rg.); *Pápa*: III. class. A) gymn. *Calv.*; *Savaria*: Steph. Szigeti, Nic. Tschida (gymn. *Praemonstr.*). — *Aenigmata numeri IV. sero dissolvit*: VIII. class. gymn. cath. (*Miskolc*).

**Praemium sorte Teresiae Benkő, Ladislao Borsy et Nicolao Tschudi obvenit.**

*Aenigmata Horatiana.*

1.

{ Aristarchus  
Crates  
Dionysius Thrax  
Zenodotus } cert **T** IUDEX adhuc li SE st. J. W.

2.

- — rgeste Urbs Istriae
- — — ae oppidum Campaniae
- — — ippi oppidum Macedoniae
- — — se pronomen
- — — tulo posco
- — — eocles filius Oedipi
- — — er velox
- — — — ita qui in solitudine vivit
- — — stis baculus
- — — ma litera Graeca
- — — — bilis quod sentiri potest
- — — — tus desertus
- — — talus pater Pelopis
- — — ager tormentum
- — — — volus benignus
- — — ens pater, mater
- — — lco verbero
- — — — unar pars tecti
- — — bria provincia in Italia
- — — — tus fissus
- — — nais flumen Sarmaticum
- — — gula ramulus
- — — culanum fundus Ciceronis
- — — hologus imitator
- — — erva dea
- — — — tes rex Siculorum
- — — pare foedere
- — — rsae populus in Asiae
- — — ter liberator
- — — inosus splendidus
- — — hys mater Achillis
- — — itur ergo
- — — tria urbs Euboeae
- — — — r amicus Ulixis

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletae et deorsum lectae stropham Horatii dant.

3.

1	41	3		14		2
16		40		12	5	
30	15		21		20	
		4	32	33	9	29
31	35	26	19	8	6	7
18	13					10
11			39		17	36
			34		22	38
24	23	25				
27						28
		37				

- Urbs Hispaniae.
- Filia Coei.
- Dea lunae apud Syros.
- Princeps poetarum Graecorum.
- Nomen fictum amicae Ovidii.
- Porta duplicata Athenis.
- Auctor Romanus.
- Mons Cybelae sacratum (In Phrygia).
- Dea suadendi.
- Oppidum Umbriae.
- Monstrum unius oculi.

1—41 litterae dant versus Horatii. Victor Kósa.

4.

*Dissolvendum ad saltum equulei.*

	trio	in	secu	re	ho	di
ta	Vir	ris	bi	dae	res	pul no
po	mit	nit	tus	au	ne	get sor
po	mi	nec	la	ar	tis	ri sae
su	pu	aut	na	bus	rae	scia ful

Eug. Fray.

**Epistolia Officialia.**

Ad certamen cum praemio propositum — describendum erat, quomodo quis tempus feriarum egisset — duo opuscula accepimus. Quia auctor opusculi dictio «Fortes fortuna adiuvat» designati multum peccat in grammatica, praemium alteri, *Georgio Steiner*, discipulo V. class. rgymn. Keszthelyensis adjudicatum est.

Nonnullis collegarum precantibus, ut ad bimilennium Horatianum in scholis digne celebrandum dialogos aliamque materiam aptam publicaremus, totum fasciculum Horatio dedicando, quanti poeta momenti esset, potissimum illustrari posse putavimus. Non ignoramus laboris socios nonnunquam aegre ferre, quod opusculis in aliud tempus differendis exspectatio sua decipiatur. Sed nunc periculum in mora non est. Quare obsecramur auctores opusculorum praetermissorum, ut ignoscere nobis vellent.

De litteris interim acceptis proximam occasione referam.

**Conclusio 7. numeri adornandi Non. Mart. (7. die Mart.)**

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedioscholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségen.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)